

figunt, separata verò volatilia denuò sunt.

Quem modum Fixationis NATURALEM ac per se talem appellare liceret, utpote à Natura nobis monstratam, quemadmodum illum cum colliquatione terræ per Ignem factum, ARTIFICIELEM ac per accidens talem vocare possemus, sola enim arte perficitur, & hujus ratione Salia volatilia, non aliter detinentur, quam aves petris alligatæ à fuga cohibentur.

Alcali Tartari fixum quidem in hac ipsa fermentatione, à terra illa quacum per Ignis colliquationem intimè conjunctum erat liberatur, nihilominus tamen ab Acido fermenti Tartarei denuò figitur. Quod ut clarius demonstrarem, in medium afferam tritum quidem, sed observatu dignum tamen Spiritus Salis ammoniaci urinosi exemplum. In Sale ammoniaco duò sunt Salia volatilia, Urinosum alterum; alterum verò Acidum. Hæc duo Salia, volatilia licet quãdo separate, conjuncta tamen se mutuò detinent, ut fixato-